

GEORGICON II

non eadem arboribus pendet uindemia nostris  
 quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos; 90  
 sunt Thasiae uites, sunt et Mareotides albae,  
 pinguibus hae terris habiles, leuioribus illae,  
 et passo psithia utilior tenuisque lageos  
 temptatura pedes olim uincturaque linguam,  
 purpureae praeciaeque, et quo te carmine dicam, 95  
 Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.  
 sunt et Aminneae uites, firmissima uina,  
 Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus,  
 argitisque minor, cui non certauerit ulla  
 aut tantum fluere aut totidem durare per annos. 100  
 non ego te, dis et mensis accepta secundis,  
 transierim, Rhodia, et tumidis, bumaste, racemis.  
 sed neque quam multae species nec nomina quae sint  
 est numerus, neque enim numero comprehendere refert;  
 quem qui scire uelit, Libyci uelit aequoris idem 105  
 dicere quam multae Zephyro turbentur harenae  
 aut, ubi nauigiis uiolentior incidit Euris,  
 nosse quot Ionii ueniant ad litora fluctus.

Nec uero terrae ferre omnes omnia possunt.  
 fluminibus salices crassisque paludibus alni 110  
 nascuntur, steriles saxosis montibus orni;  
 litora myrtetis laetissima; denique apertos  
 Bacchus amat collis, Aquilonem et frigora taxi.  
 aspice et extremis domitum cultoribus orbem  
 Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos: 115  
 diuisae arboribus patriae. sola India nigrum  
 fert hebenum, solis est turea uirga Sabaeis.  
 quid tibi odorato referam sudantia ligno  
 balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?  
 quid nemora Aethiopum molli canentia lana, 120  
 uelleraque ut foliis depectant tenuia Seres?